



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Nomenclator Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Qvi
Ab Anno Christi Millesimo quippiam commentati sunt, Sev
Ab Eo Tempore quo Pontificis electione ad eos tantum ob
Romani cleri multitudinem ...**

La Rocheposay, Henri-Louis Chasteigner de

Tolosae, 1614

A Ivlio Ill. Creati.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10735

credidi quia Tu es Christus filius Dei. vini, qui in hunc mundum venisti.

BERNARDINVS MAPHÆVS Romanus, ex Archiepiscopo Theatino Cardinalis, ad quem Petri Victorii, Pauli Manutii, & Aonii Palearii leguntur Epistolæ, scripsit

Elegantem historiam de inscriptionibus & imaginibus antiquorum numismatum.

Orationes quasdam.

Epistolæque quarum aliquas habes inter epistolæ clarorum virorum Aonii Palearij & Federici Naufæ.

Romæ iacet in æde S. Mariæ supra Mineruam cum hoc Epitaphio.

D.O.M. Bernardino Hieronimi filio Maphæo S.R. E. Presbytero Cardinali tituli S. Ciriaci in Thermis, Vixit annos 39. menses 5. dies 20. Obiit 17. Kal. Augusti, 1549.

A IVLIO III. CREATI.

IACOBVS PUTEVS Niciensis, ex Archiepiscopo Barenfi Cardinalis, Conciliique Tridentini Legatus designatus, scripsit

Decisiones Rotæ:

De mutatione Monetarum.

Et alia quædam. Romæ iacet in æde S. Mariæ super Mineruam cum hoc Epitaphio.

D.O.M. Iacobo Puteo Niciensi S.R. E. Presbytero Cardinali, viro integerrimo, qui summam Iuris utriusque scientiam ita cum summa probitate coniunxit, ut vnus Reipublicæ constituendæ, disciplinæque veteris reuocandæ præcipuus author bonorum votis expeteretur. Vixit annos 68. menses 2. dies 15. Obiit 6. Kal. Maij 1563. Antonius Puteus Archiepiscopus Bariensis nepos posuit.

ALEXANDER CAMPEGIVS Cardinalis Bononiensis Laurentii Campegii Cardinalis filius condignè scripsit, vt refert Eifengrein,

De authoritate Romani Pontificis.

De Conciliis.

Et alia quædam. Obiit Romæ 12. kal. Octob. 1554. Ibidemque in æde S. Mariæ trans-Tyberim sepultus est.

PETRVS BERTANVS Mutinensis Cardinalis ordinis Prædicatorum librum scripsit cui titulus est Archilogia, extat manuscript. Pisauri in Bibliotheca Ducis Urbini. Romæ iacet in æde S. Sabine cum hoc Epitaphio.

Petri Bertani Mutinensis Card. corpus hîc situm est, qui cû adolescens in D. Dominici familiam nomen dedisset, doctrinæ & virtutis ergò factus est Episcopus Fanensis, tum à Paulo 3. Nuncius missus ad Carolum 5. duobus memoriæ nostræ prudentissimis principibus incredibiliter satisfacit. A Iulio 3. in Cardinalium numerum adlectus, sub Paulo 4. mortalitatem cum immortalitate commutauit. Bene precare quisquis es, ita tibi quoque alii bene precentur. Vixit an. 56. menses 4. dies 4. Obiit anno Salutis 1558. Guronas frater Fratri vitâ cariori posuit.

FABIVS MIGNANELLVS Senensis, Cardinalis vndequâque doctissimus, mille Iuris vtriusque quæstionibus Bononiæ propositis, quicquid ipse de illis sentiret, triduò maximâ doctissimorum virorum coronâ aduersus omnes, iam tum Luceriæ Episcopus in propatulo propugnauit, multasque prætereâ in legibus lucubrationes elaborauit, quas, vltimi examinis inopia carere publico obtinet constans fama. Obiit Romæ ann o 1557.

ROBERTVS NOBILIS Politianus, Cardinalis, doctrinâ & sanctitate clarus, ingens animi & corpore grandior super ætatem, præmaturis honoribus primâ intra iuuentam cohonestatus est, scripsitque vt author est Garimbertus

De gloria cælesti.

Sermonesque de Sanctis eruditione refertos, quos è suggestu religiosè ad populum habuit. Verùm enimvero accliuis studiis animus in quibus creber fuit, additâ ætate accinctus ad maiora videbatur (vt æqualium omnium ad vnum consensus attestatur, cui accedere non dubito) anno enim ætatis decimo, cum Græcæ, Latinæque eruditionis præter ætatem & modum gnarus miro præcocis ingenii vigore enitesceret, non toto vertente anno orationem ad propatrum Iuliû 3. Pontificem Maximum hoc ætatis habuit, à quo triennopost Cardinalis renūciatus est. Mox galero virtuti non ætati dato, cunctisque Sacerdotiis, etiam Paulo 4. reclamante, qui nimis eius studiis succensuit, absistere ei animus fuit; demùmque modi immemor & non habitâ valetudinis ratione, cum nullis charorum precibus euctus humi discubaret, serotinis & antelucanis vigiliis effusus indulgeret, corpus inediâ, acri flagello, nec non aculeato cilicio perpetuis auctibus conficeret, mortem perlatus oppetiit. Romæ iacet in æde S. Petri de monte aureo, vbi miser animi Pater spei ingentis filium angusti cui termino exceptum, interuerso ordine contumulauit cum hoc Epitaphio.

Roberto

Roberto Nobili Politiano S.R.E. Diacono Cardinali qui 13. annos natus ob egregiam virtutis indolem à Iulio 3. Pont. Maximo eius magno auunculo, patribus uniuersis approbantibus in amplissimum Collegium cooptatus, ardentissimo cum esset religionis & literarum studio, semestri tunc sum. m. a. patientiâ coniectus, dum se iucundissimam mortem sentire affirmaret, suosque extremo spiritu, mirificè consolaretur, in caelestem vitam quam assidue meditabatur commigravit 16. kal. Februarij 1559. Vixit annos 17. menses 4. dies 12. horas 16. Vincentius Pater filio optimo ac dulcissimo posuit.

A PAVLO IIII. CREATI.

IOANNES MARTINVS Siliceus Hispanus, ex Archiepiscopo Toletano Cardinalis Philippi 2. Hispaniarum Regis præceptor, scripsit

Arithmeticam Theoricam & practicam Lutetiæ editam.

De nomine IESV librum.

In orationem Dominicam & Salutationem Angelicam. Obiit anno Christi 1577. ætatis 80.

IOANNES GROPERVSEX Susato Vvestphaliæ oppido Cardinalis, recusatis Cardinalitiæ dignitatis vltro delatæ insignibus, intra priorem paupertatem subsistere maluit, eamque oblatæ claritudini præposuit, scripsit

Institutionem Catholicam.

Isagogen ad pleniorum cognitionem religionis Catholicæ.

De veritate corporis & sanguinis Christi in Eucharistiæ sacramento, eius adoratione, circungestatione, & in vsum infirmorum conseruatione, & communionem laicam sub altera specie.

Liturgicas preces & alias eius institutioni adiunctas.